



VIRO
 PLVRIMVM REVERENDO, AMPLISSIMO,
 DOCTISSIMO,
M. CHRISTOPHORO
HAYMANNO

nouum
 DIACONI ET COLLEGAE EXTRAOR-
 DINARIJ

munus,
 quod ingresfus est
 d. XV. Cal. Maias,

A. O. R. MDCCXXXVIII.

gratulantur
 E X T R A N E I
 in illustri schola Portensi.

NVMBV RGI,
 TYPIS BALTHASARIS BOSSOEGELII PRIVILEGIUM TYPOGR.



* * *

Vccifa faeuis alta bipennibus
Pinus superbum sponte iterum caput
Inuoluit astris, nec beato
In tumulum caret actus haeres
Haerede. Clari sed meritis viri
Sarcire letum, nec legere impares
Alas ferendo, nec minores
Pondere substituisse vires,
Non vſitatae est res ſapientiae;
Durus columnam marmoream velut
Cum ſtrauit Auſter, vix repoſta
Altera ſuſtinuit ruinas.
Coelo ſupinas tollere nunc manus
Porta, et benigno ſoluere numini
Grates memento, luce feſta in
Laetifonos reſoluta cantus,
Doctus ſecundo cui venit alite
HAYMANNVS, orbos cumque ouibus ſimul
Paſturus agnos, munus amplum
Adgreditur geminamque molem.

Audit, canoris Portaque plausibus
It gratulatum non tacitis pium
Tentata pectus gaudiis, nec
 Omne se recreans inani.
Iam dulcis, inquit, te tumulto quies
WEIDNERE, pascat, quo mihi quinques
 Viuo renascentem iuuentam,
 Atque alium viridare ludum
Vidi. Beato iam fruiere otio:
Erecta dignum te video Virum,
 Sub quo minus desideratus,
 Non minus at memoratus annis
Laudere multis. Iam sapientiae
Sensi profundae flumina per meos
 Errare campos, iam salubres
 Graminibus strepuere fontes,
Haurire quorum discipulis dedit
Lymphas, acuto seu calamo magis
HAYMANNVS arcanas Olympi
 Promere, seu voluit deserto

Ex ore voces. Hunc pietas mihi,
Deuota summo et casta Fides Deo
Virtusque Doctrinae marita
Eximium tribuere munus.
Huic mite coelum, et propitium Dei
Numen secunda forte Heliconias
Expromere artes, huic det altis
Verba Dei resonare templis.
HAYMANNE, nec TE, nec reliquam domum
Laedat cruentae fortis acerbitas,
Gnati nec artus ominoso
Condideris teneros sepulcro.
Florem sed vltum praecipiti Noto,
Coeloque amatas delicias tori
Plenus spei, multiplicatis
Germinibus, videas renasci.

* * *

78 M 496

ULB Halle 3
001 618 148



TA-506

K018

017





VIRO
PLVRIMVM REVERENDO, AMPLISSIMO,
DOCTISSIMO,
M. CHRISTOPHORO
ANNO

DIAC

GAE EXTRAOR-
RII

sfus est
Maia,

XXXXVIII

AN EI
a Portenfi.

GI,
GELII PRIVIL. TYPOGR.

